

SCRIPTA

Numéro Scripta : 460

Auteur(s) : Gautier de Coutances, Rouen (archevêque)

Bénéficiaire(s) : Jumièges, Saint-Pierre (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1186

Lieu d'émission : Rouen

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Confirmation par Gautier, archevêque de Rouen, de la donation de 61 arpents de terre dans la paroisse de Genainville, faite à l'abbaye de Jumièges par Rainsende de Maudétour, Aleaume et Eude Talbot ses fils, Christiane femme dudit Aleaume et Simon son fils, du consentement de Guerrier de Genainville et de Thibaud de Maudétour dont relevait ladite terre.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Vernier Jules-Joseph, *Chartes de l'abbaye de Jumièges (v. 825-1204)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1916, 2 vol., n° CXLVI, t. 2, p. 85-87.

Texte établi d'après a

Walterus, Dei gratia Rothomagensis archiepiscopus, universis Dei fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit, salutem. Ad omnium noticiam volumus pervenire quod Reinsendis de Maldestor, Alelnmus Talbot et Odo, filii ejus, Simon, filius, et Christiana uxor Alelnmi, dederunt ecclesie beate Marie sanctique Petri Gemeticensis .LXI. arpenta terre in parrochia de Genesvilla, in loco qui dicitur Fons Hermeheri, assensu dominorum suorum, scilicet Guerrici de Genesvilla et Theobaldi de Maldestor, ad quos prefate terre dominium pertinebat, assensu quoque Luce, filie prefati Alemmi, et Emmeline et Agnetis, sororum suarum, et filiorum predictae Emmeline, et cognatorum suorum ad quos quocunque casu hereditas illa posse devolvi putabatur. Hec autem donatio solempniter facta est in manu nostra, et nos auctoritate Dei omnipotentis et Rothomagensis ecclesie predictam terram in perpetuam elemosinam ecclesie Gemmeticensi confirmavimus, tradentes eam Alexandro priori et Radulfo cantori Gemmeticensibus, qui nomine abbatis et conventus ad hoc ad nos fuerant spetialiter destinati, presente Roberto de Calvincort et renuntiante vadio quod in predicta terra se dicebat habere, et eadem Christiana, filia Roberti predicti et uxore Alemmi, resignante in manu nostra dotem quam in prenominata terra habere debebat. Hanc igitur donationem a prefatis laicis sive mulieribus in manu nostra factam et in perpetuam elemosinam confirmatam, ne qua possit in posterum malignitate convelli, sigilli nostri munimine quietam et liberam roboravimus prefate Gemmeticensi ecclesie in perpetuum valituram. Testibus his, Johanne, Ebroicensi episcopo ; Reignero, Rothomagensi archidiacono ; Huberto, Ebroicensi archidiacono ; Rogero de Foucarmonte, capellano domini archiepiscopi ; magistro Willelmo de Verdun ; magistro Willelmo de Annevilla ; et pluribus aliis clericis et laicis. Actum apud Rothomagum, anno incarnati Verbi .M°. C°. LXXX°. VI°.